

## E PISTOLA.

quentia inito conjurationis fædere prodidissent non  
Tibi uni , sed omnibus ac in primis uni alterique ac-  
quisitionis Tuæ Populo profuturam.

Eadem rursus proditrices infontes heu quoties hu-  
milibus Pietatis Tuæ latibulis graves insidias para-  
verunt ! sed ad propulsandam omnem spiritus inflan-  
tis jactantiam invocasti Dominum & dixisti , Mitte  
illam ( sapientiam ) de cælis sanctis tuis & à sede  
Magnitudinis tuæ , ut mecum sit & mecum laboret.  
Hæc tecum fuit ; hæc Tecum laboravit in omnibus ;  
hæc nativam humilis ac bona indolis propensionem  
sustinuit , mentis perspicaciam auxit , roboravit oris  
facundiam ac perpolivit.

Hæc ipsa est , Præstantissime Præsul , quæ Tecum  
in Regio frequentissimæ Aula suggestu detonuit &  
emicuit ita fortiter ut quocunque velles , corda om-  
nium inclinares , ita suaviter ut nulla Tibi contra-  
riaretur voluntatum rebellio. Hæc laudabilem Tuam  
ac Tibi singularem loquendi prælicentiam sic tempera-  
bat , ut mirarentur omnes . Te nec tacendum quicquam  
audere , nec audendum tacere . Hæc mores Principum  
Procerumque Regni ita ingeniose pingebat , ita evan-  
gelice arguebat , ita fructuose reformabat , ut per  
annos multos noluerit Rex consuetudines Aulicas ab  
alio pungi , argui , reformari . Et ut Alexander olim  
Edicto vetuit ne quis se præter Apellem pingeret ,  
sic Regi Sapientissimo visum est per duodecim Adven-  
tus & Quadragesimæ Sacrarum concionum stadia